



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. VII. An Baptismus sanguinis, sive martyrium, suppleat ita vicem
Baptismi æquæ, ut justificet ex opere operato, non solùm parvulos, sed
etiam adultos?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

127. Porro inter illa Baptismata, plura reperiuntur discrimina. In primis enim Baptismus fluminis est sacramentum, non verò Baptismus sanguinis, ut docet D. Thomas hic art. 11. ad 2. & nos infra ostendimus. Ex quo sequitur aliud discrimen, nam Baptismus sanguinis non imprimit characterem, sicut Baptismus fluminis, ut idem S. Doctor observat in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 1. quæstionc. 3. ubi sic ait: *Baptismus sanguinis passioni Christi conformatur realiter, non sacramentali representatione, & ideo in his, quæ sacramentalia sunt, Baptismus sanguinis non supplet vicem Baptismi aquæ, sicut est impressio characteris, & huiusmodi.* Deinde Baptismus fluminis est in præcepto, cum sit medium necessarium ad salutem; Baptismus autem sanguinis non est in præcepto, nisi tantum in casu necessitatis, ad defendendam fidem. Item Baptismus aquæ simpliciter & absolute Baptismus dicitur, alia verò secundum quid tantum & analogicè, ac dependenter ab illo; quare ut verum sit martyrium, gratiam causans in subiecto non baptizato, veraque poenitentia interior, necesse est ut includant vorum Baptismi fluminis, vel formaliter, vel virtualiter, vel explicitè, vel implicitè. Unde Augustinus libro 4. de Baptismo cap. 21. *Tunc impletur invincibiliter confessio fidei, cum mysterium Baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Et cap. 25. *Conversio cordis potest quidem inesse, non percepto Baptismo, sed contempto Baptismo non potest; nec ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur.* Ex quo intelliges, hoc nomen Baptismus dici analogicè, analogiâ attributionis, de Baptismo fluminis, fluminis, & sanguinis, ita ut præcipuum analogatum sit Baptismus fluminis, alia verò minùs præcipua sint.

128. Obijces primò contra istam conclusionem, Apostolus ad Ephes. 4. ait: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Ergo non debent admitti tria Baptismata.

Respondeo cum D. Thomas hic art. 11. ad 2. negando Consequentiam: *Nam alia duo Baptismata includuntur in Baptismo aquæ, qui efficaciam habet, & ex passione Christi, & ex Spiritu Sancto, & ideo per hoc non tollitur unitas Baptismatis.*

129. Obijces secundò: In aliis sacramentis non assignantur aliqua quæ suppleant vicem illorum: Ergo nec in Baptismo assignari debent.

Sed negatur Consequentia & paritas: cum enim alia sacramenta non sint tantæ necessitatis sicut Baptismus, non oportuit quod essent aliqua quæ supplerent illorum vicem, sicut martyrium, & interior poenitentia, vices Baptismi supplere valent.

130. Præter hæc tria Baptismata, aliud est quod Baptismi nomen aliquo modo sibi vendicat, & secundum Baptisma appellatur, nempe professio religiosa, ut eleganter expendit D. Bernardus Tractatu de præcepto & dispensat. capite 23. his verbis. *Andire vultis à me, unde inter cetera poenitentia instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prærogativam, ut secundum Baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem, ac singularem excellentiam vite spiritualis, quâ præminens, universis vite humane generibus huiusmodi conversatio, professores & amatores suos, Angelis similes, dissimiles hominibus facit; imò divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo, instar Baptismi;*

A & quasi denique secundò baptizamus, dum per id quod mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, congloriamus de novo similitudini mortis eius. Sed & quomodo in Baptismo eruiamur de potestate tenebrarum, & arguamur transferimur claritati eternæ, ita & in facibus huius secunda quadam regeneratione propius, de tenebris aque non unius originalis, sed multorum ætunalium delictorum, in lumen virtutum evadimus. In huius rei confirmationem in vitis Patrum lib. 6. c. 1. dicitur, quod quidam Patrum videlicet gratiam descendentem super eum qui baptizatus religionis assumit, ac super eum qui baptizatus unde Hieronymus Epistola 25. ad Paulam de obitu Bleisillæ, professionem religionis, secundum quoddam Baptismi propositum, appellat.

ARTICULUS VII.

An Baptismus sanguinis, sive martyrium, suppleat vicem Baptismi aquæ, ut iustificet ex opere operato, non solum parvulos, sed etiam adultos?

C Onstat ex dictis in Tractatu de Sacramento in communi, Baptismus fluminis, cum sit verum sacramentum novæ legis, iustificare & causare gratiam ex opere operato. Ceterum etiam, Baptismus fluminis iustificare tantum ex opere operantis, cum actus contritionis vel charitatis in quo consistit, non sit nisi ab homine prebito. Quare tantum difficultas superest de Baptismo sanguinis, sive martyrio, an ex opere operato, vel solum ex opere operantis, iustificet & conferat effectum Baptismi. In cujus resolutione quidam asserunt, martyrium conferre prædictum effectum solum ex opere operantis, ratione charitatis, aut contritionis, quem si non intendit, nihil omnino prodest, etiam parvulis uli rationis carentibus. Ita Armæcanus libro 2. de questionibus Armenorum, & Adrianus in 4. quæst. ultimâ de Baptismo. Alii autem volunt, martyrium iustificare parvulos ex opere operato à peccato originali, adultos verò non nisi ex opere operantis, ratione charitatis & contritionis. Ita Cano in relect. de poenit. parte 3. Soto in 4. dist. 4. quæst. unicâ art. 11. Bannez 2. 2. quæst. 24. art. 6. Vazquez, Sylvius, Aravius, Alii deum existimant, Baptismus sanguinis, sive martyrium, ita supplere vicem Baptismi aquæ, ut iustificet ex opere operato, non solum parvulos, sed etiam adultos. Hæc est communior sententia inter Thomistas, eamque ex extraneis amplectuntur Suarez, Bellarminus, Valentia, Granado, Henriquez, & alij.

§. I.

Hæc sententia, ut probabilior eligitur, & duplici conclusione stabilitur.

D ico primò, Martyrium, sive mortem pro Christo toleratam, iustificare parvulos ex opere operato. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 4. art. 1. ad 1. & quodlibet 6. art. 6. & in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 3. quæstionc. 3. ubi sic habet: *Sicut in Baptismo aqua liberatur homo ab omni culpa præcedente, & pena, ita in Baptismo sanguinis. Et in resp. ad 1. Baptismus sanguinis non habet hoc tantum ex opere operationis, sed hæc habet ex imitatione*

imitatione passionis Christi, & idem pueri, quamvis A
liberum arbitrium non habeant, si occidantur pro Chri-
sto, in suo sanguine baptizati saluantur.

112 Patet etiam hæc veritas ex martyrio infan-
tium, qui pro Christo occisi sunt ab Herode,
quos Ecclesia ut Sanctos colit. Neque dici po-
test, eos omnes quos Ecclesia colit, fuisse cir-
cumcisos, & per circumcisionem iustificatos:
Tum quia Herodes iussit parvulos non tantum
Judæorum, sed omnes omnino qui erant in
Bethleem & finibus ejus occidi: inter eos au-
tem verisimile est fuisse aliquos Gentiles. Tum
etiam, quia dicuntur occisi ab Herode omnes
infantes, à bimatu, & infra, subindeque eos
etiam qui nondum ad octavum diem pervene-
rant, quo solo poterant circumcidi: & tamen
Ecclesia omnes abique ullo discrimine, ut San-
ctos colit. Addo quod, Ecclesia illos nedum ut
sanctos, sed etiam ut martyres veneratur, sub-
indeque censet, illos per martyrium pro Chri-
sto toleratum, consecutos esse sanctitatem. Un-
de Bernardus in ferm. de sanctis Innocentibus,
& eorum natali: An de Innocentibus coronis quis
dubitet? Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet
inter Martyres coronari, qui regeneratos in Christo
non credit inter adoptivos filios numerari: Alioquin
quomodo coarctos sibi pueros puer ille qui natus est no-
bi, non contra nos, pateretur occidi? quod uti-
que solo nutu poterat prohibere, nisi melius aliquid
eis prouideret, ut quemadmodum ceteris infantibus
tunc quidem circumciso, nunc verò baptismo, sine
ultra propria voluntate usque sufficit ad salutem, sic ni-
hilominus pro eo susceptum martyrium illis proficeret
ad sanctitatem.

113 Dico secundò, Baptismus sanguinis, seu
martyrium, conferre etiam adultis, gratiam ex
opere operato.

Probat primò ex D. Thoma in 4. dist. 4.
quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 3. ad 1. ubi sic habet:
Baptismus sanguinis non habet hoc. (id est libera-
re ab omni præcedente culpa & pœna) tantum
ex opere operantis: neque quantum ad pœnam quâ
aliqui martyrium explet, quam contingit non esse
sufficientem ad satisfaciendum pro peccato: neque
quantum ad devotionem iustæ voluntatis, quia con-
tingit quod voluntati maiori charitate informata, ali-
quis sine martyrio non potest ab omni pœna liberari,
sed hoc habet ex imitatione passionis Christi, unde de
Martyribus dicitur Apocal. 5. Laverunt stolas suas
in sanguine agni. Ergo ex D. Thoma, Baptismus
sanguinis, seu martyrium, ex vi sua, inquan-
tum est realis imitatio passionis Christi, potest
adultos ab omni præcedente culpa & pœna libe-
rare, subindeque illos ex opere operato iustifi-
care. Unde in 4. ad Annibaldum dist. 4. quæst.
unicâ art. 4. ad 3. Baptismus sanguinis (inquit)
non habet supplere effectum Baptismi fluminis ex ope-
re operante, sicut obiciebatur, sed ex imitatione
passionis Christi.

114 Confirmatur: Idem S. Doctor hic art. 12. in
corp. & ad 1. dicit baptismata sanguinis & flami-
nis, efficere effectum Baptismi aquæ, inquan-
tum Baptismus aquæ suam habet efficaciam ex
passione Christi, & ex virtute Spiritus Sancti,
quæ duæ causæ operantur in Baptismatibus fla-
minis & sanguinis. Et addit, quod passio Chri-
sti operatur in Baptismo flaminis, per quandam
affectionem; in Baptismo verò sanguinis, per
imitationem: Atqui si Baptisma sanguinis non
conferret gratiam adultis, nisi ex vi operis ope-
rantis, id est ex vi dilectionis & contritionis,
non aliter in eo operaretur virtus passionis Chri-
sti.

Tem. V.

sti, quam per affectionem, sicut in Baptismo fla-
minis: Ergo ex D. Thoma Baptismus sanguinis
conferret gratiam adultis ex opere operato.

Confirmatur ampliùs: Idem Doctor Angeli-
cus ibidem asserit, virtutem passionis Christi
operari excellentiùs in Baptismo sanguinis,
quàm in Baptismo fluminis, aut flaminis;
quia in Baptismo sanguinis operatur per imita-
tionem operis, in Baptismo verò fluminis, per
figuralem quandam representationem; & in
Baptismo flaminis, per quandam affectionem:
At si Baptismus sanguinis non causaret gratiam
in adultis ex opere operato, virtus passionis Chri-
sti non operaretur in eo excellentiùs, quàm in
Baptismo aquæ, utpote in quo gratia datur præ-
cisè & immediatè ex merito passionis Christi,
quod non contingeret in Baptismo sanguinis: Er-
go ex mente D. Thomæ, Baptisma sanguinis
causat, etiam in adultis, gratiâ ex opere operato.

Probat secundò: SS. Patres loquendo de
adultis tribuunt martyrio vim ad remittendum
peccatum mortale, etiam quoad culpam: Sed
non posset hoc verificari, si solum ex opere ope-
rantis iustificaret adultos: Ergo etiam ex opere
operato illos iustificat. Minor est certa, si enim
solum ex opere operantis iustificaret adultos,
remissio culpæ non esset tribuenda martyrio, sed
tantum contritioni vel dilectioni perfecta ante
martyrium, vel in ipso martyrio habitæ. Major
vero probatur primò ex Tertulliano in Apologe-
tico ad finem, ubi sic ait: Quis non potest exoptet,
ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab
eo compensatione sui sanguinis expellat? Omnia
enim delicta huic operi donantur. Secundò ex D.
Augustino 13. de civit. cap. 8. ubi hæc scribit:
Quicumque non percepto regenerationis, lavacro pro
Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad di-
mittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fon-
te Baptismi. Certe si martyrium non re-
mitteret ex se peccata quoad culpam,
sed tantum quoad pœnam, ut dicit Vaz-
quez, falsa esset illa propositio Augustini,
quandoquidem Baptisma valet, non tantum ad
remissionem pœnæ, sed etiam, unò principalius,
ad remissionem culpæ. Terò ex B. Cypriano in
libro de oratione Dominica, ubi loquens de eo
qui retinet affectum ad peccatum fraternæ dis-
sentionis, ut ostendat ejus gravitatem: Quale
(inquit) delictum est, quod nec Baptismo sanguinis
potest abluí: quale crimen est, quod martyrio non
potest expiari. Ubi supponit martyrium habere
vim ad remittendum culpam peccatorum ad quæ
nō habet quis affectum, alias enim ex ejus verbis
nullo modo colligi posset gravitas peccati, con-
sistentis in eo quod quis moriens pro fide, reti-
neat affectum ad fraternam discordiam, aut ad
quodlibet aliud discrimen.

E Confirmatur ex D. Cyrillo Jerosolymitano
catechesi 3. ubi sic habet: Si quis non baptizatur,
salutem non habet, præter solos Martyres. Certe
si martyrium non iustificaret ex opere operato,
falsa esset illa propositio, quandoquidem, præter
martyres, Cathecumeni contriti, morientes ante-
quam baptizentur, salvantur ex opere operantis.
Item Cyprianus Epistolâ 73. dicit vim Baptismi
non esse maiorem martyrio, & in exhortatione ad
Martyres, loquens de Baptismo sanguinis, ait:
Hoc Baptisma in gratia maius, in potestate subli-
mius, in honore pretiosius: Sed hæc falsa essent, si
martyrium non iustificaret adultos ex opere ope-
rato, sicut Baptismus. Ergo &c.

R

Pro-

138. Probatur tertio: Martyrium iustificat parvulos ex opere operato: Ergo & adultos. Antecedens patet ex dictis conclusione precedenti, Consequentia verò probatur, quia nulla est major ratio de parvulis, quam de adultis, dummodo isti non habeant affectum ad peccata, sed sint de illis quæ commiserunt attriti: Martyrium enim in adultis non minus est martyrium, nec minus potens & efficax, quam in infantibus, quin potius in adultis nobiliter atque adeo efficacius est. Addo quod, privilegium martyrii ad iustificandum ex opere operato parvulos pro Christo morientes, non potest aliunde colligi, quam ex Sacra Scriptura locis, in quibus gratia, aut vita æterna, morientibus pro Christo promittitur: At in his locis non promittitur gratia, aut vita æterna, solis parvulis, sed universaliter omnibus pro Christo morientibus, ut patet ex illo Matthæi 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo...* Et qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam: Ergo &c.

139. Denique suaderi potest conclusio hoc discursu: Baptisma sanguinis, seu martyrium, remittit Martyri omnem penam, idque ex opere operato: Ergo & culpam. Consequentia est evidens, non enim est assignabilis ratio, quare primum potius quam secundum ex opere operato tribuatur martyrio, ut fatetur Vazquez. Antecedens verò quod negat, probatur. Si tota pena non remitteretur ex opere operato per martyrium, sed solum ex opere operantis, non remitteretur tota infallibiliter: Atqui tota infallibiliter remittitur: Ergo remittitur ex opere operato. Minor est certa Ecclesiæ fides, quæ tenet Martyres à cruce ad cælum recta evolare: unde Innocentius III. cap. cum Martha, de celebratione Missarum: *Iniuriam (inquit) facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Quod desumptum est ex D. Augustino serm. 27. de verbis Apostoli, serm. 5. de Martyribus, & Tractatu 84. in Joan. ubi sic ait: *Iniuria est pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendare.* Major verò probatur: Non est infallibile, quemcumque mortem propter Christum tolerantem, habere formalem actum dilectionis Dei & contritionis; & quamvis daretur, quod semper eum habeat, potest contingere ut non sit in ea intentione, & fervore qui requiritur ad totius penæ remissionem: imò ut notat D. Thomas loco in prima probatione adducto, contingit sæpe in aliis viris iustis reperiri intentionem & ferventiorum charitatem & contritionem, quam in Martyribus, quæ tamen non est sufficiens ad tollendam omnem omnino penam: Ergo nisi dicatur, remissionem penæ fieri in martyrio ex opere operato, non erit infallibile, totam in eo penam remitti.

Nec valet si dicas, quod quamvis non remittatur infallibiliter ex vi fervoris charitatis & contritionis tota pena, bene tamen vi passionis & doloris, quem causat martyrium. Nam in contrarium est quod D. Thomas loco citato observat, scilicet posse contingere, ut peccata sint gravissima in malitia, & plura numero, dolores verò martyrii valde leves, & tam remissa voluntas patientis, ut non sufficiat ad condignam satisfactionem pro tota pena huiusmodi peccatis debita.

—(o)—

§. II.

Duo corollaria notata digna.

EX dictis intelliges primò, martyrium potius dupliciter considerari, scilicet in quantum ad effectus virtutis fortitudinis, & in quantum ad imitatio realis passionis Christi, & non representativa solum, sicut Baptismus fluminis. Primo modo confert gratiam ex opere operato, secundo verò ex opere operato, non physice, sed sacramenta novæ legis, sed moraliter solum, quatenus ex speciali quodam privilegio, ad possessionem ipsius, ex virtute passionis Christi, quæ realiter repræsentat, Deus causat gratiam in anima. Valde autem congruum est, tale privilegium martyrio concedere, Primò quia est illud Christi: *Maiorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amico suo.* Secundò, quia est opus maxime arduum & difficile, & multo excellentius Baptismo fluminis, nam, ut ait Augustinus ad Fortunatum, comparans martyrium Baptismo: *Baptismus est sicut fides suam coram Sacerdote, Martyr coram peccatore: ille post confessionem aspergitur aqua, hic sanguine: ille per impositionem manus Pontificis, recipit Spiritum Sanctum, hic templum ejus est Spiritus Sancti.* Tertio, quia martyrium est perfecta imitatio passionis Christi, decet enim Christum, virtutem suæ passionis specialiter applicare ad qui pro ipso moriendo, ejus passionem imitatur. Addo, tale privilegium, magnum habere in Scriptura fundamentum, nam ut recte arguit Augustinus libro 13. de civit. cap. 8. loquens de Martyribus: *Qui dixit, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum, alia sententia istos facit exceptos, ubi non nisi generaliter dixit, Qui me confessus fuerit quoniam in minimis, confitebor & ego eum coram Patre meo in cælis est; & alio loco, qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam.*

Inferes secundò, quod sicut Baptismus causat gratiam præsupposita solum attritione, & facta attrito contritum, ita & martyrium, unde si nondum baptizatus raperetur ad martyrium, non posset ante baptizari, sufficeret quod cum vi Baptismi, sua peccata recogitando, in actu contritionis ex aliquo motivo supernaturali propinqueret, ad hoc ut gratiam consequeretur, & recte a cruce ad cælum evolare. Imò aliqui non tam probabiliter sentiunt, quod ille qui subito raperetur ad crucem, cum sola efficaci voluntate sanguinem pro Christo fundendi, ex vi talis actus, sufficienter disponderetur ad gratiam; licet enim non haberet actum dilectionis, aut dolorem de suis peccatis, tamen interpretative ex vi operis illius extrinseci, censeretur Deum præcari omni diligibilis, live super omnia ipsum diligens, subindeque virtualiter & interpretative tollere affectum ad peccatum.

§. III.

Solvuntur obiectiones.

Obijcies primò contra primam conclusionem: Est generalis regula in Scriptura: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei:* Sed talis regula nullam habet in Scriptura, aut traditione exceptionem: Ergo sine fundamento asseritur, mortem

pro Christo toleratam iustificare parulos sine A
Baptismo morientes.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem; licet enim si generalis regula, neminem posse saluari sine Baptismo aquæ, falsum tamen est, quod non sit speciale privilegium, seu exceptio martyrii: colligitur enim tale privilegium, tum ex communi consensu Ecclesiæ, universaliter & indiscriminatim celebrantis festum omnium Innocentium; tum ex verbis Christi Matthæi 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: hæc enim confessio non tantum fit verbo, sed etiam facto & opere, unde de Innocentibus dicit Ecclesia: *Deus cuius præconium Innocentes martyres non loquendo sed moriendo confessi sunt.*

Dices, Infantes non sunt capaces martyrii. Ergo licet privilegium illud ei concedatur, parvuli tamen sine Baptismo morientes, per martyrium iustificari non poterunt. Consequentia patet, Antecedens probatur. Martyrium est actus virtutis fortitudinis: Sed in parvulis, utpote usu rationis carentibus, non potest esse aliquis actus virtutis: Ergo nec martyrium.

Respondeo martyrium posse dupliciter considerari: Primum ut est actus virtutis fortitudinis, & sic non habet locum in infantibus; secundo ut est actualis mors pro Christo perpessa, atque adeo imitatio passionis Christi, & sic convenit etiam infantibus, eo quod ex opere operato iustificatur, & vices Baptismi aquæ supplet, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 124. art. 1. ad 1. ubi de Innocentibus martyribus loquens sic ait: *Martyrii gloriam quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occisi, per Dei gratiam sunt affecti: nam effusio sanguinis propter Christum, vivam gerit baptismum; unde sicut in pueris baptizantur per gratiam baptismalem, meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita & in occisis propter Christum, meritum martyrii Christi operatur ad palmam martyrii consequendam. Unde Augustinus dicit in quodam sermone de Epiphania, quasi eos alloquens: Ille de vestra corona dubitabit in passione pro Christo, qui etiam parvulus Baptismum prodesse non asumat Christi. Non habebatis atatem, qui in passum Christum crederetis, sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis.*

Obijcies secundo: Si martyrium iustificaret parvulos ex opere operato, esset sacramentum novæ legis: Sed hoc dici nequit, ut docet D. Thomas hic art. 11. ad 2. & art. 12. in corp. & patet; quia alias essent plusquam septem novæ legis sacramenta, quod est contra Tridentinum sess. 7. can. 1. de sacramentis in genere: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur: Signum sensibile & practicum gratiæ in actuali usu ipsius conferendæ, verum sacramentum est: At si martyrium iustificaret parvulos ex opere operato, esset signum sensibile & practicum gratiæ in actuali usu ipsius conferendæ: Ergo esset verum sacramentum.

Respondet Major in 4. dist. 4. quæst. 3. negando Minorem, existimat enim martyrium seu Baptismum sanguinis, verè esse sacramentum, quia confert gratiam ex opere operato. Ad probationem verò in contrarium dicit martyrium reduci ad Baptismum, sicque non esse plura quam septem novæ legis sacramenta; sicut nec plura sunt, quamvis plures sint Ordines, quia similiter omnes sub uno sacramento, ut diversæ ejus species continentur.

Verum hæc solutio & doctrina aliis Theologis 148.
displicet, & ab illis rejicitur, Primò quia martyrium ejusdem rationis erat, & eodem modo conferebat gratiam in lege veteri, ac modò in lege nova: Sed tunc non erat sacramentum: Ergo nec modo.

Secundò, Septem sacramenta legis gratiæ constant rebus & verbis: Sed martyrium non constat verbis: Ergo non est novæ legis sacramentum.

Tertiò, Sacramentum debet esse remedium à Deo institutum, quo homo viâ ordinariâ uti possit in suam utilitatem: Sed martyrium non est hujusmodi, ut de se patet: Ergo non est verum sacramentum.

Denique, licet Baptismus sanguinis aliquo modo includatur in Baptismo aquæ, ut docet S. Thomas hic art. 11. ad 1. tamen ut idem S. Doctor ait in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 3. quæstionc. 1. propriè loquendo unum est tantum Baptisma quod in aqua celebratur; alia autem duo Baptismata flaminis & sanguinis, non verè & formaliter sunt Baptismata, sed solum secundum proportionem ad eundem effectum, & consequenter non possunt esse unum sacramentum cum Baptismo aquæ: omnes autem Ordines, verè sunt Ordines, atque adeo sub unico sacramento, ut diversæ ejus species, continentur. Unde nulla est paritas quam in defensionem suæ singularis opinionis adducit Major.

Aliter ergo ad objectionem respondeo, negando scilicet sequelam Majoris, propter rationes allatas. Ad ejus verò probationem, concessa Majori, negando Minorem: licet enim in martyrio conferatur gratia ex opere operato, non tamen martyrium est signum talis gratiæ ex divina institutione, ut docet D. Thomas hic art. 11. ad 2. ubi sic ait: *Sacramenta habent rationem signi: alia verò duo (Baptismata scilicet flaminis & sanguinis) conveniunt cum Baptismo aquæ, non quidem quantum ad rationem signi, sed quantum ad effectum Baptismatis, & ideo non sunt sacramenta.* Quia ergo martyrium non est signum gratiæ, aut rei sacræ sanctificantis nos, nec est à Deo institutum, ut homo viâ ordinariâ eo uti possit in suam utilitatem & sanctificationem, non est verum sacramentum, nec se habet ut instrumentum divinæ virtutis, à Deo institutum ad causandam gratiam, sed solum ut conditio quædam, quâ posita Deus infallibiliter causat gratiam, ratione suæ promissionis, & quia martyrium est quædam imitatio passionis Christi, ut supra declaravimus.

Obijcies tertio contra secundam conclusionem locum Apostoli 1. ad Corinthios 13. dicentis: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: quorum verborum sensus est (ut explicat D. Thomas hic art. 12. ad 2. & 2. 2. quæst. 124. art. 8.) martyrium nihil prorsus valere sine charitate: At si iustificaret adultos ex opere operato, valeret sine charitate, ei nempe qui tantum haberet attritionem, quandoquidem ipsum iustificaret: Ergo martyrium non iustificat adultos ex opere operato.*

Respondeo Joobus modis intelligi posse aliquem tradere corpus suum absque charitate, uno modo absque charitate antecedente, quæ sit aliquo modo causa operis, vel simpliciter, vel in esse meriti: alio modo absque charitate etiam consequente, quæ sit effectus ipsius operis, si nimirum ex tali opere, sive traditione corporis, non

sequatur charitas in operante. Sensus ergo doctrinae Apostoli est, tradere corpus suum absque charitate tam consequente quam antecedente, nihil prodesse, ex quo nihil contra nos. Licet enim martyrium charitatem non supponat necessarium, si nimirum toleretur ab eo qui solum est attritus de suis peccatis; illam tamen semper secum trahit, adeo ut martyr ipse sine charitate nunquam decedat; quia ipsis vi, & ex privilegio Dei, infunditur ei gratia & charitas conjuncta cum ipsa sanguinis effusione, in quo sensu etiam intelligendus est D. Thomas.

152. Objicies quarto: Præceptum charitatis obligat sub mortali in articulo mortis: Ergo si aliquis rapiatur ad martyrium, & non eliciat actum charitatis, peccabit mortaliter, subindeque nullus poterit recipere gratiam, vi martyrii, cum sola attritione.

153. Propter hoc argumentum plures existimant, attritionem cognitam non esse sufficientem dispositionem ad martyrium, sed requiri ad minus attritionem existimatam contritionem. Verum quamvis hæc opinio sit securior, & in praxi tenenda, nihil tamen est quod eam efficaciter suadeat; etsi enim præceptum dilectionis obliget quemlibet in articulo mortis per se, per accedens tamen ab hac obligatione liberatur, qui pro Christo, sive fidei defensione, vitam suam libenter profundit, maxime quia ex vi talis operis, summam Dei exhibet dilectionem. Unde in casu quo aliquis non posset recipere Baptismum, antequam pro Christo occideretur, sufficeret, si haberet memoriam peccatorum, quod in semetipsum attritionis supernaturalis excitaret; nam sicut martyrium suppleret in illo casu defectum Baptismi aquæ, ita suppleret defectum dilectionis Dei super omnia, & contritionis ex ea procedentis.

154. Objicies ultimum: Non potest designari tempus quo martyrium gratiam conferat ex opere operato: Ergo illam ita non tribuit. Consequentia patet, probatur Antecedens. Vel illam confert in instanti mortis, vel ante illud instans? Non in instanti mortis, quia jam homo non est in illo instanti. Neque ante illud instans, quia ante instans mortis nondum est martyrium, utpote consistens in morte propter Christum tolerata.

155. Respondeo negando Antecedens, & ad ejus probationem dico, martyrium conferre gratiam ex opere operato, brevissimo tempore ante mortis instans: licet autem nondum sit actu subsecuta mors, eo ipso tamen quod tempus illud parum distet a mortis instanti, cursus vitæ, ac certaminis, seu agonis, jam moraliter consummatus intelligitur.

156. Instabis primum: In illo brevissimo tempore vitæ quod martyri restat ante instans mortis, habet ipse adhuc libertatem, atque adeo potest adhuc peccare in sensu composito: Ergo nondum est martyr, sed tantum in ipsa mortis executione, alias enim posset martyr damnari. Secundò, Potest Deus miraculose illi prolongare vitam: Ergo ut sit martyrium, requiritur quod sit mors in executione.

157. Ad primam instantiam respondeo quod regulariter loquendo, in brevissimo tempore ante mortem, martyr non habet amplius libertatem, & si eam fortè habeat, Deus speciali privilegio ipsum in gratia confirmat, atque adeo impotentem reddit ad peccandum, in sensu composito.

Ad secundam similiter dico, in casu quo martyr qui recepit vulnus de se lethale, per minutum tamen mortem evadat, sicut Joannes Evangelista, Deum ipsum confirmatum in genitio est, quia licet in illo casu mortem miraculose evadat, vere tamen absque novo martyrio debet martyr, ut constat de ipso Joanne Evangelista, quem Ecclesia ut martyrem colit, licet ante quo novo martyrio, post multos annos, antequam efflaverit: gratia autem martyrii postulat suam excellentiam, confirmationem martyrii gratia.

§. IV.

Corollarium notatu dignum.

EX dictis inferes, mortem ex peste inderum & proprie dictum genus martyrii, ut tendit Theophilus Raynaudus in libro quod didit de martyrio per pestem: Verum enim proprie dictum martyrium quatuor habet propria privilegia, nimirum, justificationem ex opere operato, remissionem omnis culpæ & pena, exemptionem à precibus Ecclesiæ, auctoritatem ultra auream victori donandam; Sed hæc privilegia Ecclesia nusquam concessit quod mirum inter ministrandum agis, ut patet præpue de tertio & quarto; Ecclesia enim præorat, & missæ sacrificium offert, & nusquam cum martyrii Aureola depingit: Ergo morte peste in observantia languentium opperta, non est verum & proprie dictum martyrium.

Deinde, Aliud privilegium martyrii est, quod si mater propter Christum occidatur, filius qui gestat in utero à peccato originali mundaatur: nemo Catholicorum id unquam dixit de aliquem utero gestat mulier que immoritur in sterio peste laboranti: Ergo nullus Catholicorum unquam existimavit, mortem illam æquari martyrio, & omnibus ejus privilegiis gaudere.

Item, Verus & legitimus martyr, non debet sponte prodire ad ultionem mortem, sed cogendus aut vocandus est, ut est communis doctrina Patrum, à Christo accepta, qui prohibet ne ultro ad certamen accedamus, sed ad civitatem ad aliam fugiamus; tum ut nostrum imitari, tum etiam ut persecutorum bono contumeliamus, ne nos in periculum temere, & illorum vitiam propellamus: Sed hæc proprietates martyrii deest morienti peste, dum ex charitate in terra proximo: Ergo ille veri martyrii gloriam non habet.

Demum, Si accenseamus numero martyrum eos qui moriuntur inter ministrandum ægri, etiam in eorum album referendus erit S. Columbanus, qui maluit mori, quam castitatis jacturam facere, & illi omnes qui nolunt servare vitam in medio quodam illicito, ut Carthusianus edocui, religio sus transgressione regulæ &c. Nam sicut primi moriuntur in exercitio charitatis, & isti in exercitio alterius virtutis, subinde nec pro illis nec pro istis orandum erit, quod supra ex Augustino vidimus, in vitam facti martyrii qui orat pro martyre: At hæc plura talia absurda sunt: Ergo & opinio Theophili, quod circiter justissime à sacra Inquisitione Romana anno 1647. die 11. Martii damnata fuit, immo ostendit Thomas Hurtado in libro quem prefensione hujus decreti, contra libellos Theophili Raynaudi edidit.